

05
A
2287



191

De
Liberalitate & Magnificentia,

PRÆSIDE

M. MICHAELE VVENDLERO,

publicè disputabit

CHRISTIA. SIGISMUNDUS Graff

*ad diem 19. Novembris in Auditorio minori
horis pomeridianis.*

WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

ANNO XXXVI.



Libetaria & Magnificenti

De

M. MICHAEL EIDLERO

PRÆSIDE

CHRISTIAN



05 A 287

Typo Ambrosio ...





PROOEMIUM.



Uas querelas Aritbmeticus ef-
fundit, quòd numerum tantum, ut lo-
quuntur, numerantem possideat, merca-
tor verò atq; alij numeratum: easdem stu-
dijs incumbentes humaniorib; ingemna-
bunt, quòd de Liberalitate disputent, e-

jusq; cognitionem mente teneant, pecunijs verò ac sumptis
bus careant: contrà his opibus sint instructi; qui neq; stu-
dijs literarum, neq; alijs conaminibus profunt, sed vel de-
terrimate avaritiâ lue infecti partis rebus, ut gallina ovis,
incubant: vel nimia profusione nummum inutilibus im-
pendunt rebus. Indè fit, ut hac virtus ubiq; terrarum
nigro cygno sit rarior; intentio enim benefaciendi apud i-
stos, qui, quomodo nummis sit utendum, sciunt: nummus
verò ipse apud istos, qui hujus verum ignorant usum.
Pari modo & Summum Bonum, etiamsi cum Diogene,
incendas lychnum, vel nunquam, vel rarò invenies.
Nam ubi non sunt media, ibi neque ipse finis: & ubi ne-
cessaria ad exercendas actiones desunt requisita, ibi & a-
ctio deficit honesta. Nihilominus exercebimus nos, ut,
si fortè cum Luciani Timone terram fodientes thesaurum
invenerimus, hunc legitimè administrare queamus. Totus
futurus noster sermo gemino includitur membro, ita ut in
utroq; primo brevia proponantur precepta, his de-
indè perspicua subjungantur explicationes, &
bas tandem nobiliores excipiant
questiones.

A 2

Membrà



Membri Primi

Præcepta.

- I. Liberalitas est virtus, quæ servat mediocritatem in pecunijs modicis dandis accipiendisque.
- II. Extrema Liberalitatis sunt, Prodigalitas atq; Avaritia.
- III. Prodigalitas est vitium, quod modum in nimium dando, & parum aut inhonestè accipiendo, violat.
- IV. Estque vel Simplex vel Mixta.
- V. Simplex est, quâ quis facultates suas in res quasvis profundit sine ullâ spe receptionis.
- VI. Mixta est, quâ quis non solum omnia consumit, sed & aliorum opes suffuratur, ut habeat, quod largiatur alijs.
- VII. Avaritia est vitium, quod modum in nimium accipiendo, & retinendo, violat.
- VIII. Avaritia est tergemina: (1) Tenacitas, quæ in dando deficit. (2) Turpis quæstus, qui in accipiendo modum excedit. (3) Ava-

193

(3) Avaritia propriè dicta, quæ in accipi-
endo & dando peccat.

Explicationes.

I. Triplex est definiti etymologia; quidam enim à *libertate*, quidam à *liberando*, quidam denique à *liberè dando*, derivant. Primi ob id, vel quòd hominem liberum imprimis deceat alijs benefacere: vel quòd, qui per hanc virtutem agit, liberè agat. Secundi id attendunt, quòd, beneficijs distributis, alios à necessitate liberemus. Nam in hoc unico maximè hæc virtus est occupata, ut oppressorum necessitati obviam eat. Tertij constituunt discrimen inter Liberalitatem & Justitiam, ita ut dicamur liberaliter dare illud, quod liberum est etiam non dare; sed secundum Justitiam debitum cuique reddamus.

2. Vox hæc est æquivoca. Nam usurpatur generaliter & specialiter. Priori modo pro quâlibet facultate in pecunia vel erogandâ vel accipiendâ versante, ita ut includat etiam magnificentiam. Posteriori modo sumitur pro mediocritate in mediocribus dumtaxat pecunijs & opibus occupatâ. Quæ acceptio, ut ex definitione elucet, est hujus loci.

3. Æquipollentia liberalitatis sunt *Beneficentia*, *Benevolentia*, *Magnificentia*, *Benignitas*, *Hospitalitas*, *Parsimonia*, & *Largitas*. His frequenter multi autores pro Liberalitate utuntur. Plures etiam peculiare constituunt virtutes, quas quidam propagines, quidam quasi species Liberalitatis faciunt. Sed præter necessitatem; quia hæc virtutes unius ejusdemque virtutis officia, quæ contrarium sentientes diversis attribuunt, complectuntur.

4. Objectum est geminum, *Internum* atque *Externum*, seu *Propinquum* & *Remotum*. Prius pecuniarum amorem & cupiditatem; posterius divitias, non quascunq; , sed parvas & mediocres, constituimus. Nomine pecuniæ intelliguntur omnia, quorum precium metitur nummus, ut sunt, domus, agri,

prædia, suppellectilia, atque omnia alia, quorum ad vitæ hu-
jus sustentationem est aliquis usus: non quidem suâ naturâ,
sed ex instituto hominum; quia nummus ob faciliorem facien-
dæ permutationis rationem est introductus. Nam, ut Poet. L.
loquitur, Non omnis fert omnia tellus;

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Imò quædam regiones adeò steriles sunt, ut, quod cum alijs
permutent, non sit.

5. Pecuniam autem esse legitimum objectum probat
Philosophus l. 4. Ethic. cap. 1. his duobus argumentis:

(1.) *Ob quid liberalis laudatur, circa id liberalitas versatur:*
Ob usum (qui consistit in honestè tum accipiendo, tum
erogando) pecuniarum &c. E.

Major probatur, quia laus est proprium, quod virtutem
consequitur. Minor patet per remotionem: quia liberalis nec
ob abstinentiam à voluptatibus, nec ob honores, nec ob virtu-
tis actiones: sed propter legitimum pecuniæ usum lauda-
tur.

(2.) *Circa quam materiam versantur extrema liberalitatis,*
circa eandem etiam liberalitas:

Extrema, videlicet Prodigalitas & Avaritia, versantur circa
malum pecuniarum usum. E.

Major patet, quia contrariorum est eadem ratio: seu, quia
medium atque extrema in eodem versantur objecto. Minor
innotescit ex præceptis

6. Ex his sponte Liberalitatis sequuntur actiones, quæ sunt
dare & accipere. Circa dationem notabis modum, quo pa-
cto sit dandum, & Finem, propter quem detur. Modus dan-
di hoc efficit, ne absque iudicio, digni & indigni pariter
beneficijs afficiantur. Nam, ut inquit Seneca, l. 1. de Benef:
Beneficia, si detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia, & in aliud
quodlibet incidunt nomen. Circa modum legitimè observan-
dum, adeoque Liberalitatem rectè administrandam quinque
sunt

sunt tenendæ circumstantiæ : PERSONA , QUANTITAS ,
QUALITAS , TEMPUS ET LOCUS.

7. PERSONA consideratur tum DANTIS tum ACCIPIEN-
TIS. In DANTE iterum duo spectanda , HABILITAS atq;
INTENTIO. Quoad prius multi ad alijs largiendū sunt inepti ,
quales sunt pueri, impuberes, furiosi, mente capti, prodigi &c.
Quoad posterius animus est attendendus, ut det LIBERALITER
& sine MORA. Nam omne, quod ex virtute proficiscitur ,
fit cum voluptate, aut certè sine dolore & molestiâ. Ergo & in
hâc, cum secundum Apostoli effatum, *bilarem datorem Deus
diligat* : & contra, *beneficium ab homine duro profectum sit in-
star panis lapidosi, quem esurienti quidem accipere necessum sit, e-
dere autem acerbum & molestum. Sine morâ*, qui enim cito
dat, bis dat : & , *ingratum est beneficium, quod inter manûs dan-
tis diu hesit.*

8. In Accipiente est notandum, num sit nostris beneficijs di-
gnus; *Benefacta enim malè collocata, non sunt benefacta, sed male-
facta.* Hic oportet dantem esse instar alicujus Argi, ut hinc
atque illinc centum voluat oculos, ne in distribuendis beneficijs
â limite aberret. Digni sunt omnes (1) *virtute præditi*, (2) *cives*,
(3) *parentes* (4) *liberi*, (5) *propinqui*, (6) *amici*, atq; (7) *egeni*.
Notandum hîc, quod non quosvis improbos excludamus, sed
tantum contumaces, qui de emendatione nunquam cogitan-
tes tantum nati sunt, ut fruges perdant.

9. Circa *Quantitatem* observa facultatem Dantis, & neces-
sitate Accipientis. Nam ita est dandum, ne Liberalitas alijs
relaxationem, sibi verò afferat afflictionem. Accipiens est
respiciendus, ut ei succurramus pro necessitate atque dignitate;
Hâc enim in parte Liberalitas Justitiæ ministra, aut ad mini-
mum ejus existit observatrix. Ergo ei, qui plus eget, qui benè de
nobis meretur, & qui sanguinitate nobis propinquus, plus est
bene faciendum.

10. Circa



10. Circa *Qualitatem est* observandum, ut *beneficia Accipienti profint, noceant nemini.* Hinc, qui pecuniam à justo Domino ablatam ad alienos transfert, non debet Liberalis videri; Vir enim liberalis de proprio, non de alieno, exercet liberalitatem. Quadrat huc prudentissima Attabalibæ Regis Pervani responsio ad factum Pontificis incognitas insulas ex merâ liberalitate distribuentis: *Donatorem illum insigniter fatuum & imprudentem esse, ex eo facile prodi, quòd aliena tam liberaliter largiatur.* Accipienti profint. Hinc furioso non est gladius donandus, quia ei nocet: nec fœminæ, aut seni arma venatoria, aut rustico libri, studioso verò retia sunt mittenda, quia hæc omnia sunt supervacanea.

11. Ultimæ restant circumstantiæ, *Tempus* videlicet & *Locus.* Tempus sit tempestivum & conveniens; *In tempore enim venire est omnium rerum primum. Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla fuit mora, nisi in Accipientis verecundiâ.* *Locus* ex honestatis præscripto mensuratur, ut beneficia, quæ honoris causâ conferuntur, fiant palàm: quæ verò egestatis sublevandæ causâ, privatim. Nota sint illis, quibus profunt: interdum etiam ipse, qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec, à quo acceperit, sciat. Nam aliàs parum gratiæ promereberis: (1) ratione tui; quia insolens habeberis quod Christus Phariseis, qui buccinâ clangendum ante se curabant, objicit. (2) ratione proximi; quia pudorem illi incuties.

12. Accipientis est, ne aliundè, quàm unde debeat, accipiat, cùm hoc modo alijs injuriam inferat, quod à liberali longissimè debet esse remotum. Ergo in accipiendo diligenter circumspiciat, num is, à quo accipit, talis sit, qui libenter, nec cum damno largiatur. Multò minus in accipiendo & petendo sit importunus; magis enim alijs cupit benefacere, quàm accipere. Tandem & hoc liberali incumbit viro, suas ut augeat facultates, & quidem honestis rationibus ad virtutem suam exercendam.

13. Finis est honestas, cujus gratiâ omnes à liberali suscipiuntur

ly 57

untur actiones. Atro ergò notantur lapide (1) illi, qui munera dant, ut majora recipiant: (2) ad auram popularem captandam: (3) ut ad honores evehantur: (4) ut causam in iudicio obtineant. Nam hujus farinae homines ex Liberalitate faciunt mercaturam.

14. Absolutis circumstantijs, quæ circa Liberalitatis objectum sunt tenendæ, ad extrema, nimirum *Prodigalitem* atq; *Avaritiam* tendimus. Liberalitati in excessu opponimus Prodigalitem ratione dationis, in defectu ratione acceptionis: in defectu Avaritiam ratione dationis, in excessu ratione Acceptionis.

15. Prodigalitas dicitur à *prodigendo*, hoc est, *proijciendo seu profundendo* patrimonium. Vide *Becman. de Orig. LL. p. 170.* Hujus duas facimus species, *Simplicem & Mixtam.* Prior propriè, posterior impropriè, ita vocatur, quia, censente Philosopho, is propriè prodigus dicitur, qui uno tantum vitio infectus, quòd suas consumat fortunas. Hoc in mixtâ non est, quia ex intemperantiâ, injuriâ, & ambitione est conflata.

16. Avaritia dicitur à nimio affectu avendi, quòd avarus sit avens æris, vel quasi avarus à potiori metallo: sicut thesaurus. *Becman. de Orig. LL. p. 209.* Tria horum avarorum annumeravimus genera, ad quorum ultimum avaros in specie dictos referes. Primi generis dicuntur vel *Parci*, tum in adjuvando amicis, tum erga se ipsos: vel *Tenaces* per quandam metaphoram à rebus viscosis sumptam, quòd instar rei viscosæ pecunia manibus ipsorum adhæreat: vel denique *Sordidi*, quòd spe lucelli cujusdam sordida quæque suscipiant. Secundi generis salutantur isti, qui turpi lucro sunt dediti, quòd magnâ cum fraude, vi, atque alijs modis bona aliena ad se trahant, parùm curantes, an jure, an æquitate fiat. Huc refert Philosophus Lenones, Fœneratores, Usurarios, Propolas, Aleatores, Adulatores, & illos, qui resexiles multâ divendunt pecuniâ. Tertium genus est pessimû, cum sit perfectum atq; ex omnibus vitiis compositum. Undè commodè omnium malorum radix, justitiæ noverca, & gehennæ nutritrix audit, quia per fas & nefas omnia ad se rapit, raptisque ita incumbit, ut nulli beneficiat.

B

Quæstio-

QUÆSTIONES POTIORES.

QUÆSTIO I.

An liberalitas cadat in pauperes ?

§. 1.

Hujus quæsitæ aientem partem, quantum meminimus, omnes defendunt. Horum sententiam ut rectè enucleemus, videtur esse discrimen inter pauperes constituendum; Quidam enim non omnibus planè sunt destituti facultatibus, quidam, verò ad extremam omnium rerum inopiam redacti. De utroque quæsitum affirmant.

§. 2. In prioribus, quia ponitur fundamentum, ergò etiam virtus ipsa. Ratio consequentiæ, quia fundamentum non est *Dantis quantitas, sed Qualitas*, hoc est, non magnitudo, sed promptitudo. Probant exemplo pauperculæ viduæ, quæ, quamvis duos tantum obulos in gazophylacium immisisset, liberalior tamen omnibus Pharifæis à Christo fuit prædicata.

§. 3. Posterioris generis Liberales nominant non *actu secundo*, sed *primo*, cum animus, tanquam basis & fundamentum primariò sit attendendus, quem ita concipiunt esse comparatum, ut in externis bonis, horum si daretur copia, secundum virtutis normam operaretur.

§. 4. Prioribus missis, cum his objectum non desit, animus nimirum benevolus, atque aliquales facultates, de posterioribus suboritur dubium, quòd propriæ Ethicorum hypotheses suggerunt. Docent, quòd non solum objectum virtutem efficiat, sed etiam requiri applicationem, quæ consistit in animo legitimè objectum externum dirigente. Argumentum necitimus tale: *Si Liberalitas consistit in objecto atq; in animo objectum legitimè dirigente, sequitur, eum, qui intentionem benefaciendi habeat, non esse liberalem.* Ratio, quia natura Liberalitatis distrahitur, cum intentio tantum sit animi. Prius est verum, E. & posterius. Vel: *Ubicunq; non est objectum & fundamentum Liberalitatis, ibi neq; applicatio fieri potest:* In extremè paupere &c. Major est certa. Minor patet ex § 2. hujus quæsitæ; quia fundamentum hujus virtutis est promptitudo animi cum objecto, quomo.

quomodocumque etiam hoc se se habeat, modò sit aliquale, & conjunctum. Satis hoc confirmat viduæ, quod satis exaggerant, exemplum.

§. 5. Ut taceamus de virtutum actionibus, quæ non in intentione, sed in externis consistunt actionibus, ut & ipsum Summum Bonum. Ut enim non scimus te esse sapientem vel prudentem, nisi prudenter & sapienter agas: ita latet, te esse virtuosum, vel te habere intentionem secundum virtutem agendi, nisi externo hoc præstiteris actu. Sic avarum vocamus, quòd pecuniã non utatur; hæc enim in usu unicè consistit. Quidni etiam de virtute, quia medium & extremum in eadem versantur materiã?

Quæstio Secunda.

Utrum, qui pauca largitur tam possit esse liberalis, quàm qui multa?

§. 1. Hæc primam statim sequitur, eò quòd multum prioræ quæstionem tùm probet, tùm illustret. Corydon atque Euclio, quorum oculos Pluto suo splendore perstrinxit, istum, qui plus dat, liberaliorem pronunciabunt; hi enim non animum, sed externum attendunt objectum.

§. 2. Sed tam liberalem, qui pauca prompto elargitur animo, habito suarum facultatum respectu, quàm qui multa, duplici probamus fundamento, à causã efficiente, & à signo ad rem signatam. Causa efficiens Liberalitatis potior est animus ad benè faciendum promptus; hic enim res parvas extollit, sordidas illustrat, & contra magnas & in pretio habitas dehonestat. Cuicunque ergò animus ad beneficium est propensior, ille etiam liberalior. Deinde, quia opes cum hâc actione, necessariò sunt conjungendæ, cum sint mentis ministeria, quibus benevolam erga alios animum explicamus, sequitur, quòd, quantò melius signatum signo, tantò liberalior dicendus est, qui parva dedit magnificè, quàm qui splendida dona ex luxuriante animo. Satis hoc exemplum viduæ, quam Christus reliquis omnibus præfert; demonstrat.



Quaestio Tertia.

An sit liberalior, qui de acquisitis, an, qui de hereditarijs, vel aliunde acceptis, donat?

§. 1. Posteriores citius aliquid elargiri, quam priores, experimur, vel quod non experti egestatem, adeoque ad quid profint divitiarum, aut quantum calamitatis sit in paupertate, nesciant: vel etiam, quod aliena minus, propria magis amemus. Hinc posteriores liberaliores, priores restrictiores à Philosopho salutantur.

§. 2. Sed tamen hic est observandum (*verba sunt Clariss. Nigrini in lect. Ethic. publ.*) si uterque, & is, qui per hereditatem, aut casum fortuitum, aut donationem, & is, qui proprijs laboribus dona est adeptus, unum eundemque modum in largiendo teneat, hoc est, si aequalia conferant, hunc liberaliorem esse dicendum illo, quia magis ex bonis suis, tam respectu acquisitionis, quam possessionis aliquid proximo erogat.

Quaestio Quarta.

An quis possit esse liberalis in seipsum?

§. 1. Negativam hinc esse amplectendam, patet ex explicatione sextâ, in qua Liberalis actiones recensentur. Nemo enim sibi dat aliquid, & simul à se accipit, quia dare & accipere sunt correlata, quae de eodem subjecto dici nequeunt. Ergo, quia haec virtus est communicativa, adeoque suam naturam exercet in alios, nemo in semetipsum liberalis est dicendus.

§. 2. Idem indicat Seneca l. 5. de Benef. c. 4. *Sic ut nemo liberalis est, qui sibi dat, nec clemens, qui sibi ignoscit: nec misericors, qui malis suis tangitur; sed qui in alios istas exercet virtutes. Sic etiam, qui in se beneficium confert, non liberalis est, sed naturae suae parens, quae monet fugienda esse, quae nocent, & appetenda, quae prosunt.* Ex quibus Senecae verbis concludimus, quod is, qui de suis sibi prodest, non morum, sed naturae ductum observet, & per consequens non virtutis, sed naturae exerceat operationes. Quibus observatis contraria ratio ab altero extremorum desumpta parum probabit.

Quaestio Quinta.

An Liberalitas versetur circa bona animi?

§. 1. Quidam affirmant, quidam negant. Ratio affirmantium, cum multi non minus in his, quam in bonis fortunae communi.

197.

municandis, quæ quilibet proximo communicare & potest & jure debet, tenaces sint.

§. 2. Contrà huic rationi alij opponunt Liberalitatis objectum, quod pecunia & omnia, quorum æstimationem nummò metitur. Jam quia hoc objectum non est circa animum, sed externa bona legitimè distribuenda, concludunt, Liberalitatem circa animi bona non versari. Ad contrariam respondent rationem, quòd is, qui proximo consilia denegat, non tam tenax, quàm invidus sit dicendus.

Quæstio Sexta.

Num Avaritia deterior sit Prodigalitate?

§. 1. Respectivè loquimur: Neutrum enim absolutè loquendo laudandū, cum sint extrema, quæ à medio aberrant, adeoq; vel in excessu, vel in defectu peccant. Interim alterum, scilicet Prodigalitatem magis ad virtutem accedere, sequentes stabilunt rationes. Quodcunq; vitium facilius potest sanari, est melius. Antecedens non Avaritiæ, sed Prodigalitati competere experimur. Nam Avaritia est morbus, nullis medicabilis herbis, cum, ætate crescente, magis magisq; crescat improbus ardor habendi. Undè non inconcinne de avaris eloquentiæ princeps Cicero: *Quò minus illis temporis restat, eò plus querunt victi.* Contrà prodigum facilius curari passim obvia restantur exempla. Nam hos necessitas tandem eò adigit, ut, bonis exhaustis, melius suis rebus consulere discant.

§. 2. Quod vitium à Liberalitate longiùs recedit, est deterius. Hoc itidem Avaritiæ est attribuendum; hæc enim à Liberalitate, cujus principale officium est dare, prorsus deflectit. Prodigus verò promptior est ad dandum. Ergo minus vitiosus, quòd majorem cum virtute habeat cognationem, quàm Avaritiæ, cui nullum planè cum virtute est commercium.

§. 3. Quicumq; prodest alijs, melior est, quàm qui nocet. Applicamus hoc ad prodigum, dum sine discrimine benefacit, fieri non potest, quin nonnunquam in homines quoq; dignissimos beneficia conferat. Avarus verò nemini utilis, cum tantum alijs noxius in accipiendo deprehendatur.

§. 4. Qui ex malitiâ peccat, pejor est illo, qui delinquit ex stultitiâ. Quod profecto non de prodigo affirmandum; hic enim



enim, dum malè rebus suis consulit, stultus dici meretur. Idem ex hoc apparet; quòd hoc vitio maximè sint inquinati juvenes, qui modum divitias rectè administrandi nesciunt, adeoq; non ex malitiâ, sed ex simplicitate delinquunt. Avarus verò callidus; quia hoc vitium senibus experientiâ rerumque usu præditis est familiare. Hinc horrendis epithetis Avaritia passim depingitur, ut pote quòd sit *improbitalis, iniquitatis & injustitiæ mater, metropolis omnium vitiorum.*

Membri Secundi

Præcepta

- I. Magnificencia est virtus, quæ servat mediocritatem in magnis sumptibus erogandis.
- II. Extrema sunt Luxus & Sordes.
- III. Luxus est vitium, quod in sumptibus magnis decorè faciendis aberrat.
- IV. Sordities est indecora in splendidis operibus efficiendis parsimonia.

Explicationes.

§. 1. Absolutâ liberalitate, quæ non saltem est via ad habitum, cum sit virtus perfectâ, suam admittens latitudinem, rectâ ad Magnificentiam tendimus. Hæc virtus indè nomen accepit, quòd circa magnos versaretur sumptus. Quæ propria est hujus vocis acceptio. Quandoque populariter accepta denotat dignitatem atque honores, ut, quando Comites, Barones, Rectores Academici, alijque in magno honoris gradu constituti dicuntur Magnifici: quandoque transfertur ad sermones vel alias actiones, quæ aliquam conciliant autoritatem, ut magnifica oratio, magnificus incessus, magnifica facies.

§. 2. Objectum sunt sumptus magni, quos hæc virtus ita moderatur, ut omnes circumstantias, adeoque ipsum decorum probè obseruet. Decorum consideramus in sumptibus atque operibus, quorû gratiâ sumptus erogantur. In sumptibus, quando hi & personæ & operibus conveniunt. Circa personam notabis, quòd non cuilibet, sed virtute & genere præstanti competat; hoc enim Magnificencia exigit, ut persona aliquid splendoris

doris operi addat. Hoc fieri nullo potest pacto, si operis autor obscurus, aut sumptibus tanti operis impar reperiatur. In operibus decorum tenemus, quando hæc & personæ & sumptuum magnitudini respondent. Quod tùm æstimari potest, cû ad finem opus est perductum, eo modo, ut ea sit operis præstantia, quod nemo iisdem sumptibus perfectius, aut splendidius efficeret. In hoc si peccatur, neq; opus magnificentum, neq; persona magnifica est enuncianda, quia in hoc genere facillimè ab alio poterit superari.

§. 3. Opera, in quæ sumptus fiunt, sunt *vel sacra*, quæ ad divinum pertinent cultum, ut templa, altaria, vestes sacræ &c: *vel profana*, quæ vel publica, ut theatra, mœnia, pontes, publicæ viæ &c: *vel privata*, quæ ipsum magnificentum spectant, ut ædes, horti, sylvæ, vestes &c: Ædes enim præclaræ maximè virum magnificentum commendant, quia operibus his externis excelsi sui animi indolem ostendit. Non autem ædes conferunt dignitatem, sed tantum exornant, cùm vera dignitas ex virtute, quæ animi bonum est, proficiscatur. Porro has extruit non tam sui, quàm aliorum causâ; hic enim de omnibus benè mereri satagit.

§. 4. Hæc requisita ubi non attenduntur, peccatur in excessu & defectu. Prius tùm fit, cum in res viles sumptus inutiliter profunduntur, solius ostentationis gratiâ. Exempla sunt Ægypti Pyramides, de quibus *Plin. l. 36. c. 6*: Antonij, qui in unâ cœnâ mille divisit apros: Vitelli, qui duo millia piscium, & septem millia avium in uno convivio apposuisse dicitur. Posterior cum in magnis operibus intempestiva adhibetur parsimonia, ut nec sumptus operi, nec opus dignitati, respondeat. Quod fit (1) si opus magnificè cœptum non eodem finiatur tenore. (2) si, re exigente, magnificus vel cum quâdam molestiâ, vel non sufficienter pro ratione operis sumptus præbeat.

§. 5. Hæc duo extrema, quatenus à mediocritate discedunt in reprehensionem quidem incurrunt; interim non sunt cum aliquâ turpitudine conjuncta; siquidem nemini nocent, sed tantum in proprias peccant facultates, quas vel inutiliter profundunt, vel iisdem nimium parcunt, ita ut neque laudem, neque aliquam utilitatem inde percipiant.

Quæstio

Quæstio tantùm una.

An Liberalitas & Magnificentia differant specie?

§ 1. Circa hanc quæstionem mirè variant autores. Non differre specie colligunt ex genere, formali ratione seu mediocritate, efficiente causâ & finali, subjecto atq; objecto: in quibus omnibus utraq; virtus convenit. Inde concludunt unam esse virtutem, quæ circa sumptus versatur, illamq; nomine proprio carere, exprimi autem duobus vocabulis, ita ut jam Liberalitas, jam salutetur Magnificentia.

§. 2. Mirum, cur non ex omnibus virtutibus unam fecerint, ut citiùs ad Summum Bonum (*nam plus est undecim, quæ ponunt media, quàm unum*) perveniant, cum omnes virtutes his tanquam communibus requisitis gaudeant. Magis mirandum, quòd iidem defendant, Liberalitatem ipsam esse perfectam virtutem, quæ suam admittit latitudinem, non verò saltem viam ad habitum.

§ 3. Ergò amplectimur sententiam eorum, qui Magnificentiam à Liberalitate ita volunt esse distinctam, ut hoc discrimen ad specificam differentiam quàm proximè accedat. Innuit hoc (1) formale objectum, quod est diversum; Liberalitas enim modicos, Magnificentia magnos moderatur sumptus. (2) sequeretur ea quoq; vitia, in quorum medio sita est Magnificentia, partes seu species esse eorum, quæ Liberalitati adversantur. Sed posterius falsum. Ergò & prius. Nunquam enim Sordiditatem ad Avaritiam, vel Luxum revocabis ad Prodigalitatem. Ratio, quia extrema & Virtus versantur circa unam materiam. (3) non nudam differentiam secundum magis & minò demonstrant diversi Liberalitatis & Magnificentiae fines; Liberalis enim opitulatur egenis & dignis: Magnificus verò & alijs & sibi metipsi.


§. 4. Maximè hoc est stabiliendum ex principio Ethicorum, dum asserunt, quòd ipsa virtutis species variet, si objecta specie convenientia diversimodè tractentur. Ita vitium à virtute plus quàm specie distat, cum circa idem objectum modus agendi variet. Liberalitatem & Magnificentiam diversimodè esse tractandam, ex diversâ utriusque Virtutis consideratione satis superque constat.

05 A 2287

ULB Halle

3

003 783 529




VD 17

001







De
Liberalitate & Magnificentia,

PRÆSIDE

M. MICHAELE VVENDLERO,

publicè disputabit

CHRISTIA. SIGISMUNDUS Graff

*ad diem 19. Novembris in Auditorio minori
horis pomeridianis.*

WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

ANNO XXXVI.

191.

